

DISSERTATIO ACADEMICA  
DE  
USU  
HOMOEOTELEUTORUM  
ANTIQUO ET RECENTIORI,

CUJUS  
PARTEM POSTERIOREM,  
DE  
HOMOEOTELEUTIS LIGATÆ ORATIONIS,

VENIA AMPL. FAC. PHIL. REG. AC. AB.

PRÆSIDE

JOH. FREDR. WALLENIO,

*Eloqu. Prof. Reg. & Ord. Regg. Societt. Patriot. Holm.  
Oecon. Fenn. & Oecon. Wermel. Membro,*

pro Gradu Philosophico

*ventilandam modeste sistit*

JOHANNES MODIN,

*Stip. Bilmark. Sudermannus.*

IN AUDIT. MINERALOG. DIE XVII JUNII MDCCCVII.

H. A. M. S.

---

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

DIRECTOR GENERAL

HONORABLE MEMBER

ANTHONY J. ...

... ..

HONORABLE MEMBER

... ..

FRIDAY

JOHN ...

... ..

pro Gaud. ...

... ..

JOHANNES ...

... ..

In ... ..

... ..

... ..

À

MONSIEUR LE BARON

HERMAN DE FLEMING

COLONEL, ET CHEVALIER DE L'ORDRE DE L'ÉPÉE

et à

MADAME LA BARONNE SON EPOUSE

MARGUERITE DE FLEMING

née d' OLIVÉCREUTZ.

*Cet ouvrage exige un ornement - - celui de Vos Noms  
- & mon coeur souhaite de rendre un hommage à la bon-  
té, que Vous m'avez témoignée tout le tems, que j'ai eu  
l'honneur de passer à l'institution de Monsieur Votre  
fils - - -. C'est pourquoi je Vous prie, de regarder ces  
feuilles comme une marque de la vive reconnoissance &  
des sentimens respectueux avec lesquels je suis*

MONSIEUR LE BARON

et

MADAME LA BARONNE

VOTRE

*très-humble & très-obeissant serviteur*

*JEAN MODIN.*





*Accesit numerisque modisque licentia major.*

HORATIUS.

**N**on parva est eorum caterva, qui recentioris in  
versibus rhythmī odium fuerunt professi. Emi-  
nuerunt in hisce, 17:mo quidem sæculo, ABRAHA-  
MUS MYLIUS, ROLANDUS MARESIUS, RENATUS  
FRANCISCUS SLUSIUS, & instar omnium ISAACUS  
VOSSIUS. Artificium enim Helladi Latioque prorsus  
ignotum, nec satis dignum gravitate carminum &  
nativa vi, sed inconditum, & barbaris, quibus pri-  
mum placuerit, relinquendum, prætereaque molestos  
vatibus injiciens compedes, in poësin invectum fuis-  
se, veroque rhythmō & ipso cantu sublatis insipidum  
ineptumque substituisse syllabarum tinnitum, queren-  
tes, eos vehementer laudarunt, qui excusso duræ  
servitutis jugo antiquas instaurare versuum mensuras  
in hodiernis tentassent lingvis. Quorum, PETRAR-  
CÆ puta, ARIOSTI, TORQU. TASSONIS, J. B. GUA-

A

RI-

RINII, LOPE DE VEGA, MILTONI, aliorumque in primis recentiorum, etiam nostratium, meritis quamvis & nos nihil velimus detractum, an tamen sit Homoeoteleutorum in ligata oratione usus pro invento mere barbaro habendus, dispicere inutile non duximus.

Solent quidem multi spurium versuum rhythmum non aliunde, quam a gentibus, si cum Græca Romanaque conferas, rudibus & impolitus, repetere. Neque enim a natura (sed imperfecta, ut putat, & vitiosa) abnui ingenue fasus Is. VOSSIUS <sup>a</sup>), familiarem Arabibus, Persis, Afris, Tartaris, Sinensibus & compluribus quoque Americanis esse, ipsique Romanæ poësi a Barbaris victoribus illatum, nequaquam in commendationem rei, observavit. Prima igitur homoeoteleutorum poëticorum vestigia in Arabibus exquirunt CAMPANELLA, P. D. HUET, MASSIEU, SULZER, HERDER, BARBIERI & GIROL. TIRABOSCHI, in Ebræis alii, in Siculis & Provincialibus nonnulli, in Etruscis aliqui, in Scythicæ Gothicæque originis populis DUBOS, IHRE, BOUTERWEK, ceteri. Sunt etiam, qui Leoninis, quos vocant, versibus rei tribuant natales, ut MARESIUS & SALVINUS, itemque alii, qui versibus Græcorum Romanorumque politicis, ut MURATORI, VELASQUEZ,  
TYR-

---

<sup>a</sup>) De Poëmatum cantu & viribus rhythmici p. 25, 28 sq.

TYRWHITT, ARTEAGA & EICHHORN. De singularum opinionum fundamentis breviter dicendum.

*Ebræa* Poësis utrum admiserit an rejecerit homoeoteleuta, disputatum a multis fuit: pugnantibus ab utraque parte etiam magni nominis viris. Contra MARIANUM quidem VICTORIUM, consonantes versus in Cantico Salomoneo animadvertisse sibi visum *b)*, contra AUGUSTINUM STEUCHUM Eugubinum, ex Rabbi MOSCHE BEN CHABIB contendente, in *Hebraico carmine nulla tempora, sed numerum duntaxat atque similitudinem cadentium syllabarum observari c)*, & nominatim contra CLERICUM, GAROFALUM atque FOURMONTIUM, monuisse videmus LOWTHUM, *vanissimam eorum esse sententiam, qui Hebraici carminis artificium in ὁμοιοτελεύτοις unice ponunt, sive in versuum clausulis similiter desinentibus d)*; nec minus MORHOFIUM *e)*, Ebræos clausulis concinentes versus nequaquam esse R. DAVIDIS KIMCHII ætate antiquiores, sed ab illo demum tempore ad Christianorum morem compositos. Expressis porro

A 2

ver-

*b)* HEUMANNI *Consp. Reipubl. litter. c.* 5 § 15.

*c)* GOMARI *Davidis Lyra* p. 10.

*d)* *De sacra Poësi Hebræorum*, Edit. Goetting. 1770, P. Post. p. 751.

*e)* *Unterricht von der Teutschen Sprache und Poësie* p. 535 sq.

verbis negavit Doctissimus JONES *f*) similiter definire veterum Hebræorum versiculos: quæ omnia sententiarum discidia componere vix licebit, nisi, ut ab HERDERO *g*), Lamechi ad uxores carmen (Genes. IV. 23 sq.) explicante, factum, præter aliquam membrorum mensuram atque parallelismum, etiam assonantias, in hoc saltem loco non obscuras, assumamus, nec tamen ita necessarias, ut, quod in primis improbasse videtur LOWTHUS, his *solis* absolvi, iisque carere nunquam posse putemus Ebræorum carminum artificium. — Ex *Sabiorum* autem Aramæa, ut putamus, Dialecto scriptis Gnomis, multa nuper protulit LORSBACH, & numero quodam & rhythmis haud infrequentibus distincta.

*Arabicae* poëseos rationem homoeoteleuta & assonantias adeo non refugere, ut potius sua jamdudum fecerit, locupletissimis testibus, CLERICO *h*), MI-  
CHA\*

---

*f*) Poëseos Asiaticæ commentariorum Londin. 1774 p. 72.

*g*) Vom Geist der Ebräischen Poësie, 1:r Theil p. 344. Cfr. FREUDENTHEIL in Charaktere der vornehmsten Dichter aller Nationen, 4:n Bandes 2:s Stück, p. 256. Assonantias agnovit etiam Anonymus in Hallische Allgem. Litteratur-Zeitung 1806 N:o 148.

*h*) Profodia Arabica, c. 22.



CHAËLIS *i*), L. B. A REWITZKI *k*), JONES *l*), REISKE *m*) & ROSENMÜLLER *n*), facile credimus. Coranus enim ipse quamvis metris gaudeat valde ἀτάκτοις *o*), finitimos saltem versiculos simili claudit sono: & in septem illis *el-Moallakat*, MUHAMMEDIS tempore aliquanto superioribus, omnes cujusvis s. longioris s. brevioris carminis versus in eundem ac primus exeunt sonum *p*); quo magis miramur, primum spurii hujus rhythmī usum a WACHLERO *q*) ad Abasfidarum demum ætatem referri. *Gaudent* sane Arabica carmina, *præter pedes, numerum & quantitatem*

- i*) Arabische Grammatik, Gött. 1781. Vorrede p. XLI sq.
- k*) Specim. Poëseos Perficæ, Vindob. 1771. Prooem. p. XLIII sq. Quem librum, Auctoris quamvis nomine non ornatum, Illustri viro (Romani Imperatoris ad aulam Berolinensem Legato) tribui videas a JONESIO p. 104 & in Allgem. Deutsche Bibliothek, XLIX Bandes 1:s Stück p. 187.
- l*) Libr. cit. p. 72, 443, 457.
- m*) Neuer Bücheraal der schönen Wisensch. und freyen Künfte, 10:r Band, p. 227.
- n*) Charaktere der vornehmsten Dichter aller Nationen, 5:n Bandes 2:s Stück p. 251.
- o*) Sic in Secundæ Suræ v. 16-18 primus 48, alter 13, tertius 58 continet syllabas. MICHAËLIS l. c.
- p*) ROSENMÜLLER l. c. & 6:n Bandes 1:s Stück p. 5 fqq.
- q*) Handbuch der allgemeinen Geschichte der litterarischen Cultur p. 322.

*tem syllabarum, etiam isocatalexi (Casia), eaque longe magis ardua quam in nostra poësi, cum ad eam complurimum syllabarum consonantia requiratur, quarum numerus nonnunquam usque ad quinque syllabas excurrit r). Nec Persæ, paronomasia etiam, perinde atque Arabes, valde delectati s), alias servant profodiæ leges t); quod a Tartarorum poëtis, post receptam MUHAMMEDIS religionem lingvis Arabica & Persica utentibus u), pariter fieri, admodum est probabile. Cum autem ad rudiorem populum jam descenderit disputatio, non erit inopportunum commemorasse de isocatalexia Nigriticæ quoque poëseos apertum fidi peregrinatoris, BARETTII, testimonium.*

In laudatis jam gentibus, ne Persica x) quidem forte

---

- r) VON REWITZKI l. c. Cfr. JONES p. 457. Interdum *alterni tantum versus ad normam primorum similiter definiunt, nulla habita ratione mediorum, qui solum hemistichiorum vice funguntur.* REWITZKI p. XLV.
- s) JONES p. 197.
- t) REWITZKI l. l. c. c. Cfr. quæ ex SUDIO, Turcico HAPHYZI Metaphraste, attulit idem p. 136 & 158 sq. Consuli etiam potest JONES p. 101 sq.
- u) JONES p. 12.
- x) Legat, cui placet, quæ contra REWITZKIUM, vera Persicæ poëseos initia ad tempora disseminatæ per Persidem Muhammedanæ religionis referentem, disputantur in Allgemeine Deutsche Bibliothek l. c. p. 188 sq.

forte excepta, ad tempus hominum memoria antiquius exfurgit homoeoteleutorum poëticorum ufus; fed in Siculis, Hetruſcis & Provincialibus noſtræ propior eſt ætati. Qua autem fide *Hetruſcis* attribuat, non conſtat; LILIO quidem GYRALDO *y*), inter hos *Siculos*que, ita ſuſpenſo, ut nihil certi pronuntiet. Hetruſcam tamen poëſin Sicula antiquiorem credere multa jubent; nam & ante reliquas excoli coepiſſe Tuſcam Italicæ lingvæ Dialectum novimus, & *Provincialem*, quam vocant, poëſin, circa ſæculi 12:mi initia in Gallia aſtrali exortam, mox fuiſſe ad Italiam ſuperiorem propagatam, ibique tamdiu viguiſſe, donec nativo & peculiari habitu atque colore conſpicua Siculorum vatum ars, cujus primitias anno 1190 protulerat CIULLO D'ALCAMI, poſt integri ſæculi luctam, hoſpicio tandem ejiceret peregrinam *z*).

In lingvis *Celticæ* propaginis nemo, quantum ſcimus, quæſivit iſocatalexeos poëticæ natales. Feruntur tamen carminibus OSSIANI Galicis non pauca

*y*) De poëtis ſui temporis Dialog. II. in Operum (Editionis Baſileenſis 1580) T. II. p. 415.

*z*) WACHLER libr. cit. p. 374. 378. Cfr. EICHORN Allgemeine Geſchichte der Cultur und Litteratur des neueren Europa, 1:r Band p. m. 97. BOUTERWEK Geſchichte der Poëſie und Beredſamkeit ſeit dem Ende des dreyzehnten Jahrhunderts, 1:r Band p. 46 ſqq.

ca inesse homoeoteleuta; eademque Hibernorum vati-  
tibus quinto sæculo ineunte adeo fuerunt familiaria,  
ut ad horum morem ipse PATRICIUS, novæ religio-  
nis annuntiandæ adveniens præco, poemata sermo-  
ne incolis usitato componere mere rhythmica a) non  
detrectaret.

*Scythicæ* omnino inventionis esse versus homoe-  
oteleutos, & apud gentes Gothicas inde ab ultima  
antiquitate in usu fuisse, gravis defendit auctor, Ge-  
nerosif. IHRE b) variisque probare conatur argu-  
mentis. Opponere quidem his nolumus DALINI au-  
ctoritatem, primam Skaldicorum carminum ifocata-  
lexin ad medium demum 12:um sæculum referen-  
tis c), quam sententiam facile refellunt commemora-  
ta ab Upsaliensi Polyhistoro ad 9:um 10:mumque  
sæculum pertinentia poëticæ venæ specimina; nec  
possumus tamen, quin sagacissimis duumviris LA-  
GER-

a) Horum unum, & quidem distichon, ab USSERIO in An-  
tiquitt. eccles. Britann. c. 17 servatum, repetiit EICH-  
HORN libr. cit. 1:n Bände 2:te Hälfte p. 63, appellavit-  
que: *die älteste Probe von Reimen in einer neuern Sprache,*  
*die ich kenne.*

b) In Glosfario Sviogothico, voc. *Rim.*

c) Vitterhets-Academiens Handlingar 1 Del. p. 19. Ad  
11:mum sæculum retraxit STRAND in Vitterhets- Histo-  
rie- och Antiquitets-Academiens Handl. 1 Del. p. 314.

GERBRING *d)* & OLAFSEN *e)* libentius assentiamur. Antiquissima igitur majorum nostrorum poemata homoeoteleutis caruerunt, nec nisi allitterationis artificio fuerunt (ut Fennoorum) distincta, cui nono fere sæculo accessisse videntur consonantes soni plus minus perfecti: quos tamen ad Germanicæ poëseos imitationem assumptos, ut putat OLAFSEN, fuisse, ad fidem est difficilium. Hos enim si, cum eodem, ad tempora HARALDI *Pulcriconi* retuleris, habebis quidem quinquaginta fere annis superiorem OTFRIDUM, Weisenburgensem Monachum, Sacrorum Evangeliorum Metaphrasten Germanum, eumque rhythmicum, cujus ætas in annum circiter 820 incidit *f)*; sed cum antiquiora nulla in Germania prostant id genus carminum exempla, propius tamen se contingunt ista tempora, quam ut in magna locorum di-

B stan-

*d)* Svea Rikes Historia, 1 Del. Stockh. 1769 p. 476.

*e)* Om Nørdens gamle Digtekunst, Kiöbenh. 1786. Librum nobis non visum citavit NYERUP in Udfigt over Nordens ældste Poësie og dens Litteratur, Kiöbenhavn 1798 p. 6—11.

*f)* Charaktere der Dichter, 1:n Bandes 2s Stück p. 202. Narratum ibidem legas, circa idem tempus adornatam, LUDOVICO Pio jubente, fuisse metaphrasin totius sacri codicis, itidem rhythmicam, eaque dialecto expressam, qua inferioris Rheni accolæ utebantur.

stantia, & magna præferim argumentorum dissi-  
 militudine, ab altero natum videri possit alterum g).

De *Leoninis politicis*que versibus posthac com-  
 modius dicetur: jam satis erit monuisse, eos præci-  
 pue appellatos fuisse Leoninos, quorum medium &  
 finis consonarent h), sed sub eodem signo militasse  
 etiam reliquos, Latina quidem lingua expressos,  
 rhythmicos lusus; qui medio admodum insulso ævo  
 eo censebantur perfectiores, quo sæpius resonando  
 artem curamque fere omnem ad barbararum aurium  
 oblectationem impensius contulissent. Sic in hisce,

*Quos anguis dirus Christi mulcedine pavit,  
 Hos sanguis mirus tristi dulcedine lavit,*

singula singulorum sonos anxie referebant verba. —  
 Dispiciendum vero jam erit, annon apud veteres  
 quoque Græcos & Romanos versuum similem sonum  
 aliquando revocantium occurrant vestigia.

Quærentibus autem inter multa alia hæc semet  
 obtulerunt HOMERI i):

Es

---

g) Cfr. SKJÖLDEBRAND in Vitterhets. Historie. och Anti-  
 qvitets-Acad. Handl. 7:de Del. p. 339 sq.

h) SCALIGERI Poëtices L. II. c. 29.

i) Non istas jam exquirimus sonorum similitudines, quæ  
 ex juxta positis tertiæ declinationis simplicis genitivis sin-

Ἐς δ' ἐρέτας ἐπιτηδὲς ἀγείρομεν, ἐς δ' ἑκατόμβην  
Θείομεν, ἀν δ' αὐτὴν χρυσιδα καλλιπάρηον  
Βήσομεν· κ)

Ὡς ἄρα Φωνήσαντες. ἐς ἄρματα ποικίλα βάντες· λ)  
Ἐκ γὰρ Ὀρέεο τίσις ἔσσεται Ἀτρείδαο· μ)  
Ἐκ μὲν Κρητῶν γένος εὐχομαι εὐρεϊάων· ν)

HESTIODI ipsium τῶν Ἔργων initium:

Μῆσαμ Πιερίθην, αἰοιδῆσι κλείεσσαι  
Δεῦτε δὲ, ἐννέπετε σφέτερον πατέρ' ὑμνεῖσσαι.

ANACREONTIS:

Ἐγὼ δ' ἔσοπτρον εἶν  
Ὅπως αἰεὶ βλέπης μέ·  
Ἐγὼ χιτῶν γενοίμην,  
Ὅπως αἰεὶ φορῆς μέ ο),  
Τὸ μὲν ἐν πόμα λάβωμεν,

B 2

Τὰς

gularis numeri Ionicis, aut dativis pluralis jota finali  
auctis, sæpius exfurgunt. Prioris exemplum esto ἀργυ-  
ρεῖοιο βιοῖο II. I. 49. posterioris ἀθανάτοισι θεοῖσι I. 520.

κ) II. I. 142 sqq.

λ) II. V. 239.

μ) Odyss. I. 40.

ν) Odyss. XIV. 199.

ο) Ode 20. v. 5—8.

Τὰς δὲ Φροντίδας μεθῶμεν, p)  
 Τόδε γὰρ θεῶν ἄλημα  
 Τόδε καὶ βροτῶν χάρισμα. q)

AESCHYLI:

ἽΟυδὲν ποτ' ἄλλο καὶ γὰρ Ἡλείτραι δοκῶ  
 Στείχειν ἀδελφὴν τὴν ἐμὴν πένθει λυγρῶ r)

SOPHOCLES:

ἽΟδ' αὐτὰς ὑμῶν ὅδ' αὖ ἐν γάμοις παρών  
 Αὐτὰς τὰδ' εἶπων αὐτὸς ἐστὶν ὁ κτακόν.

ARISTOPHANIS:

Καὶ βοᾶτε καὶ γελᾶτε,  
 ἽΗδη δ' ἐξέσαι τόθ' ὑμῖν  
 Πλεῖν, μένειν, κινεῖν, καθεῦδαι,  
 ἽΕς πανηγύρεις θεωρεῖν,  
 ἽΕσιᾶσθαι, κοτταβίζειν,  
 Συβαρίζειν s),

APOLLONII Rhodii:

ἽΟμη δὲ λιαραῖσιν ἐφ' ὕδασι παρεθεσῶ  
 ἽΗὲ καὶ ἀμνησιᾷ λοεσσαμένη ποταμοῦ t),

10-

p) Ode 41. v. 15 sq.

q) Ode 51. v. 4 sq.

r) Κοηφός. v. 7 sq.

s) Εἰρήνη v. 339—344.

t) Ἀργοναυτ. III. 875 sq.



Incerti Auctoris gemmæ insculpta sententia:

Λέγῃσιν  
 Ἄ θέλῃσιν  
 Λεγέτωσαν,  
 Τί μέλει σοι;

ENNII:

*Nec cauponantes bellum sed belligerantes u),  
 Percussus, curis sumtus suspirantibus,  
 Exsacrificabat hostiis balantibus x);*

PLAUTI:

*Strepitus, crepitus, fonitus, tonitrus y);*

TERENTII:

*Sublimem in medium arriperem, capite primum in  
 terram statuerem,  
 Ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem &  
 prosternerem z);*

VARRONIS:

*Et orthophallica attulit psalteria,*

Qui-

u) CICERO Offic. L. I. c. 12 f. 38.

x) CICERO de Divin. L. I. c. 21 f. 42.

y) Amphitr. Act. V. Sc. I. v. 10.

z) Adelph. Act. III. Sc. 2. v. 18, 21.

Quibus sonant in Gracia diſſeria,  
Qui fabularum collocant exordia a);

CICERONIS:

*Vitare ingentem cladem peſtemque monebant:  
Vel legum exitium conſtanti voce ferebant,  
Templa deumque adeo flammis, urbesque jubebant  
Eripere, & ſtragem horribilem cædemque vereri:  
Atque hæc fixa gravi fato ac fundata teneri.*

*Hæc tardata diu ſpecies, multumque morata,  
Conſule te tandem celfa eſt in ſede locata:*

*At clades patriæ flamma ferroque parata b),  
Sub læva Geminorum obduſtus parte feretur.  
Adverſum caput huic Helice truculenta tuetur c);*

VIRGILII:

*Limus ut hic dureſcit & hæc ut cera liqueſcit  
Uno eodemque igni: ſic noſtro Daphnis amore d);  
Funera: cædebant pariter pariterque ruebant e);*

Tra-

a) In fragmento apud NONIUM.

b) De Divinat. L. I. c. 12 f. 20 ſq.

c) In Arateis, quæ leguntur de Nat. Deor. L. II. c. 43 f. 110.

d) Bucol. VIII. v. 80 ſq.

e) Æneid. L. X. v. 756.

*Trajicit. I, verbis virtutem illude superbis f);  
 Dum tenera attondent simæ virgulta capellæ,  
 Non animus furdis: respondent omnia silvæ.  
 Quæ nemora, aut qui vos saltus habuere, puellæ? g);  
 Haud aliter terras inter coelumque volabat;  
 Littus arenosum Libyæ ventosque secabat h);  
 Terribilem cristis galeam flammisque vomentem,  
 Fatiferumque enses, lorica ex ære rigentem i);  
 Nec non Tarquinius ejectum Porsenna jubebat  
 Accipere, ingentique urbem obsidione premebat k);*

HORATII:

*Fratrem moerentis, raptō de fratre dolentis l);  
 Non satis est pulcra esse poemata, dulcia sunt,  
 Et quocunq; volent, animum auditoris agunt m);  
 — — — — — Ne forte seniles  
 Mandentur juveni partes, pueroque viriles n);*

OVIDII:

*Vir, precor, uxori, frater succurre sorori o);* Nec

f) Æneid. L. IX. v. 634.

g) Bucol. X. v. 7 sqq.

h) Æneid. L. IV. v. 256 sq.

i) Æneid. L. VIII. v. 620 sq.

k) Ibidem v. 646 sq.

l) Epist. L. I. ep. 14 v. 7.

m) Art. Poët. v. 99 sq.

n) Ibidem v. 176 sq.

o) Heroid. ep. VIII. v. 29.

*Nec nisi finita per plurima vulnera vita p);*  
*Tigris ut auditis diversa valle duorum,*  
*Exstimulata fame, mugitibus armentorum q);*

**PROPERTII:**

*Quin etiam absenti profunt tibi, Cynthia, venti r);*  
*Mollia Dircaë pulsabunt tympana Thebæ:*  
*Capripedes calamo Panes hiantes canent.*  
*Vertice turrigero juxta Dea magna Cybebe s);*

**ADRIANI Imperatoris:**

*Animula vagula, blandula,*  
*Hospes comesque corporis,*  
*Quæ nunc abibis in loca,*  
*Pallidula, rigidula, nudula? t)*

**Incertorum poëtarum:**

*Coelum mitescere, arbores frondescere,*  
*Vites latificæ pampinis pubescere,*  
*Rami baccarum ubertate incurvescere u);* itemque  
*Hæc omnia vidi inflammari,*

*Pria-*

p) Metamorph. L. III. v. 251.

q) Metam. L. V. v. 164 sq.

r) L. I. eleg. 17. v. 5.

s) L. III, eleg. 17. v. 33 sq.

t) AELIUS SPARTIANUS in Vita Adriani c. 25.

u) CICERO, Quæst. Tusc. L. I. c. 28 f. 69.

*Priamo vi vitam evitari,  
Jovis aram sanguine turpari x);*

quibus omnibus plura addere nihil est opus. Pentametrorum enim versuum medio sineque consonantium exempla ideo non subjecimus, quod nihil est istis apud Elegiacos Poëtas, OVIDIUM, TIBULLUM, PROPERTIUM, frequentius. Est etiam, ubi duorum Pentametrorum extrema sibi respondeant, quales sunt illi PROPERTII:

*Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin.  
Hic erat Arganthe Pege sub vertice montis,  
Grata domus Nymphis humida Thyniasin y).*

At fortuitum fuisse quicquid habeat antiquitas istiusmodi exemplorum, aliudque cogitantibus per imprudentiam excidisse, GEORG. FABRICIUS, IS. VOSSIUS, Poëticæ Giesenæ Auctores, HEUMANUS, HARRIS, aliique putarunt. Mireris sane, qui potuerint viri cetera acuti in hanc incidere opinionem. Est enim in multis jam allatis adeo manifestus sonorum concentus, ut aures vel maxime hebetes subterfugere nullo modo possit. Rariorem igitur membrorum extremorumve consonantiam neque

C

ine-

---

x) Leguntur ibidem c. 35 f. 85 pariterque L. III. c. 19 f. 45. Cfr. de Orat. L. III. c. 58 f. 217. In Consolatione tamen alter versus pro *evitari* habet *aufferri*.

y) L. I. eleg. 20. v. 32 fqq.

ineptam iudicasse videntur veteres poëtae, & aliquando forto non inutilem. Hinc Voss, citatos primo loco Virgilianos versus in Germanicam linguam conversurus, consulto posuit

*Wie sich der Thon hart schliesset, und weich das Wachs  
sich ergiesset  
Beid' in der selbigen Glut: so Daphnis in unserer Liebe;*

addiditque: Die reimenden Veränderungssylben in du-  
rescit — liquefcit bezeichnen den Gegensatz noch stärker  
als die deutschen Stammsylben, durch welche ich sie zu  
ersetzen suchte. Hinc Gallicus Æneidos interpres,  
DELILLE, ad versus Libri X:mi 756. & 757: *On voit  
bien ici dans la répétition des mêmes idées & des mots  
opposés les efforts des deux armées, l'acharnement égal  
des guerriers rivaux, & l'incertitude de la victoire.*  
Hinc FALK z) ad comicam vim adjuvandam, & ex-  
primendam vividiorum rerum quasi picturam, prod-  
esse homoeoteleuta, ac propterea de industria non-  
nunquam lecta a veteribus fuisse, non temere, ut  
nobis videtur, existimavit. Hinc ista in nupero,  
præmatura morte jam extincto, epico Poëta a) de  
Iusciniæ cantu:

*Flö-*

---

z) Taschenbuch für Freunde des Scherzes und der Satire,  
7:r Jahrgang p. 175 fqq.

a) SONNENBERG, Donatoa.

*Flötend' tönte des Frühlings Königin, hell den Gesang  
dann  
Schmetternd hinab, den Gesang, wie er klang, und er-  
klang von dem Himmel,  
Und vertönt im Wehmuthgeflöt um die Kinder der Liebe.*

Sed integra condere rhythmica poemata posterior  
demum ætas tentavit.

Ferunt quidem NERONEM, in poëtica facultate tractanda ambitiosius versatum, homoeoteleutis quoque ultra modum indulgisse, eoque nomine a PER-SIO *b)* exagitari; quod tamen ad liquidum demonstrari vix potest. Neque enim tam consonant, quam asonant isti, NERONI sine idonea forte causa adscripti, versus; neque quid in illis reprehendendum censuerit Volaterranus Satyricus, satis constat. Pueriliter autem, sua jam ætate, ludi coeptum, & retrogradis carminibus, aut Echus instar recinentibus difficilibus nugis, laudem captari, MARTIALIS *c)* queritur: quæ tamen, si vel placebant circulis, teretes prudentiorum aures omnino offendebant. Alia vero & latius manans non admodum diu absuit Romanæ poëseos corruptela. Ut enim in reliquis a

C 2

pri-

*b)* Satir. I. v. 99 fqq.

*c)* L. II. epigr. 26. Luciliana multo antiquior satyra, cujus fragmentum N. A. L. XVIII. c. 2. servavit GELLIVS, utrum poëtam quendam an oratorem (at circulatorum certe inficetum) respexerit, non bene liquet.

pristino nitore sensim deficiebat Latialis sermo, sic ex eo non parum contrahere incipiebat vitii, quod syllabarum tempora minus fervarentur. Antiquitatis id jam fuerat malum, *horrido illo & incomto Saturnio numero d)* ludentis, qui tamen post inventas Græcas artes urbe pulsus rus remigraverat, vestigia licet sui in istis ballisteis, saltatiunculis & cantilenis relinquens, quas milites ipsosque pueros bellorum ducibus occinere solitos SVETONIUS *e)* & FLAVIUS VOPISCUS *f)* docent. Ex his autem trochaica quidem forma, sed sine quantitatis delectu, compositis, verique ametris popularibus cantionibus tum demum prodire *politici*, quos supra nominavimus, *versus g)*, cum serpens in dies vitiosæ & tantum non arbitrariæ pronuntiationis licentia cultiorum quoque hominum, atque ipsorum adeo auctororum, sermonem intemperantius infecisset. At quamquam annumerari potius quam appendi jam solebant syllabæ, quem perversum morem a MINUCIO FELICE, 3:tii, COMMODIANO-

NO-

---

*d)* HORATIUS, Epist. L. II. ep. I. v. 157 fqq. VIRGILIUS, Georg. L. II. v. 385 fq. ad quem locum SERVIUS: *Saturnium metrum*, inquit, *ad rhythmum solum vulgares componere consueverunt.*

*e)* In vita Cæsarum cap. 49 & 51.

*f)* In vita Aureliani c. 6.

*g)* Sic apud Græcos etiam, sed serius, *οἱ δημοτικοὶ εἴχοι* dedere *τοῖς πολιτικοῖς* natales. Vid. EUSTATHIUS ad Iliad. l. 1.



NOQUE & PRUDENTIO, 4:ti sæculi scriptoribus primo adoptatum novimus *h*), vix ulla tamen in hisce aut plebis, aut ineptorum poëtarum lusibus, nisi fortuito, occurrunt homoeoteleuta; quæ igitur a Saturniis politicisque Romanorum versibus desumpta credere, silentibus monumentis non licet, multoque etiam minus a Græcis repetere, dignitatem lingvæ diutius servantibus & politico isto versuum genere ferius delectatis.

Non defuere (post MINUCIUM & reliquos Prosodiæ violatores), qui antiquæ adhærentes metricæ rationi sequioris ævi ineptias respuerent, non spernendi sane, ut tum erant tempora, poëtæ, CALPURNIUS, AURELIUS NEMESIANUS, AVIENUS, AUSONIUS, CLAUDIANUS, RUTILIUS NUMATIANUS & SIDONIUS APOLLINARIS. Invalescenti tamen malo repagula opponere satis valida nequiverunt; jamque AMBROSIUS & AUGUSTINUS, sæculo uterque 4:to, versus pangebant vere homoeoteleutos. Successerunt his *Leonini* variæ artis: appellatione quidem quam re ipsa recentiores, sed nimis tamen recentes, quam ut ab iis ad hodiernarum gentium poësin migrare potuerit artificiosus ille clausularum concentus.

At neque minoribus laborant reliquæ de spurii  
istius

*h*) Cfr. SALMASIUS ad VOPISCI Aurelium & HARRIS Philological Inquiries, Part. II. ch. 2.

istius rhythmī origine opiniones difficultatibus. Non uni alterive, sed multis, iisque valde remotis nec ullo litterarum, foederum, bellorum negotiorumve commercio junctis, gentibus is placuit: nec semper alii post aliam, sed eodem fere tempore pluribus. Videntur omnino vel probatissimorum Clasicorum exempla docere, non esse eum tantopere vitiosum, aut refragante natura poësi obtrusum. Barbarorum crepant esse inventum; sed ipsi illi Barbari, disjuncti longe, at consentientes tamen, unde, quæso, nisi a natura, didicerunt? Neque tamen omnes lingvæ hoc artificio æque indigent: raro utebatur Græca; raro etiam Latialis. Caruerunt potius, & figuram jam mollem atque nimis splendidam, jam laboriosiorē visam præfens in tempus omiserunt. Quid ejus lingvæ poësi opus erat homoeoteleutis, quæ *morari*, *insanire*, & *morari*, manere, sola primæ syllabæ quantitate distingvens *i*), *verborum numero* & *vocum modo vincebat aurium satietatem* *k*), *cujusque nihil esse licebat, ne spiritu quidem minimo, brevius aut longius, quam necesse* *l*), *quia in his, si paullum modo offensum erat, ut aut contractione brevius fieret, aut productione longius, theatra tota reclamabant* *m*)? Sublata

---

*i*) SVETONIUS in vita Neronis c. 33.

*k*) CICERO, de Orat. L. III. c. 44 f. 174.

*l*) Ibidem c. 48 f. 184.

*m*) Ibidem c. 50 f. 196.

ta vero, sine homoeoteleutorum culpa, per loquentium & scribentium incuriam, illa temporum servandorum cura, & syllabis tantum non omnibus ancipitibus factis, homoeoteleutis distingvi clausulas nihil repugnabat. Hodiernarum certe lingvarum ut est quæque quantitatis constituendæ tenendæque studiosissima, ita similibus versuum sonis facillime caret. Carere nunquam poterit Gallica, suoque DE MEZIRIAC, qui OVIDII Heroidas versibus non homoeoteleutis transtulit, nunquam plaudet. Neque iis assentimur, qui a materia sublimi & gravi homoeoteleuta prorsus remota cupiunt *n*). Non videntur sane antiqui vel in ejusmodi argumentis refugisse; præstoque sunt exempla recentiorum res grandes, ferias & ponderosas rhythmico carmine, & felici quidem successu, tractantium. Hæc aures judicant & consuetudo, in variis gentibus varia; & ipsi resonantes numeri, quantumvis sæpe difficiles, nonnunquam sponte occurrent, & respondebunt non vocati. Quod autem observavit ADDISON *o*), tenuium rerum & exilium tractationem nitescere rhythmici beneficio posse, ipsumque sic poëtici sermonis tenorem facilius crescere & supra prosam extolli, id ineptis ver-

fi-

---

*n*) Sic Is. VOSSIIUS libr. cit. p. 26 sq. HOME Elements of Criticism Ch. XVIII. Sect. 4. Vol. II. p. 323 sq. BLAIR Lectures on Rhetoric and belles lettres Lect. 4 (Ed. Basil. 1801) Vol. I. p. 77 sq. Lect. 38 Vol. III. p. 121.

*o*) Spectator N:o 285.

sificatoribus, sensuum cogitationumque paupertatem inani verborum sonitu libenter occultantibus, dictum non esto. Neque tamen diffitendum, ex ipsa rhythmicæ legis necessitate, per asociationem (ut nunc loquuntur) idearum insperatam & audacem, id effici interdum, ut majore quodam entusiasmo correptus vates humum volatu non infelice linquat p). Sed iterum monemus, iis nullam scribi dicam, qui insignis spiritus carminibus non rhythmicis recentiores etiam lingvas ditarunt. Floret utraque poësis sua laude: *facies non ambabus una,*

*nec diversa tamen, qualem decet esse sororum.*

---

Pro instituti ratione sufficiant jam dicta. Coronidis loco addemus, antiquissimum, quantum novimus, Rhythmorum Lexicon, qualia plures jam habent Europææ lingvæ, prodiisse Pictavii anno 1585, & sic inscribi: *Promptuaire d' unisfon ordonné & disposé methodiquement pour tous ceux qui veulent promptement composer en vers françois, par PIERRE LE GAYNARD.*

p) FALK l. c. Addit idem: *Wenigstens ist es bemerkenswerth, dass selbst bey SCHILLER der Einschnitt des Reims, wie z. B. in der Maria Stuart, in Wallensteins Lager u. s. w. auch allemahl das Zeichen zum Einschnitt einer grössern und ächtern Naivetät ist.*

---

Corrigendum in priori Dissertationis parte sphaema, Auctoris jam absentis rogatu, indicamus: Pag. 5 lin. 15 exstat *βομβαλοβομβάξ*: legas *βομβαλοβομβάξ*.